



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XLVI. Rabno seu Rabanus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

bus certaminibus, inquit, contingunt homicidia iniusta, & crudeles ac peruersi euentus iudiciorum, non sine amissione fidei, & charitatis ac pietatis, dum putant Deum illi adesse, qui potuerit fratrem suum superare, & in profundum miserrarum deicere. Hic est pessimus error & ordo confusus, &c. Et tamen inueniuntur, qui stimulos addant. Pugna securus, quia illum, qui tua repetit aut contendit, absque dubio superabis; & diuinum eis promittunt adiutorium, qui tam contrarij existunt Euangelica pietatis. Hinc iam ad certamen audacter proceditur; ubi duo cominus veniunt parati, ut se inuicem varijs ictibus cadant, pro talibus rebus, quas multo minus amare debuerant, quam seipos ad inuicem, nam eum, quem occidere aut superare cupit, iussus est ut diligat sicut seipsum; recusatis illas pro quibus contendit arbitrari, ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Hæc & plura huius generis in hunc perditum morem Agobardus; qui tam altas radices egit, ut etiam Tridentina Synodus seriam medicinam adhibere debuerit. Quam vide session. 25. cap. 19.

XLVI. Rabno seu Rabanus.

Ex patre Dapifero de Wilburgstetten, ex matre de Pfalheim Dioceseos Augustanæ. Administrator, antea Episcopatus Eystettensis sub duobus Episcopis; postea itidem Administrator Episcopatus Ratisbonensis. Vir prudens, affabilis, prouidus & hospitalis; in armis strenuus, in consilio maturus, in amicorum auxilio virtuosus, in ulciscendo inimicorū iniurias animosus, animo industrius, & uniuerso clero pius & graciosus. His enim notis M. S. Codex Rabanum istum depingit. Imò plura adiiicit, fuisse enim ait, formam iustitiæ, exemplar pietatis, assertorem veritatis, defensorem fidei, ordinatorem clementem Cleri,

pasto-

pastorem pium plebis, refugium oppressorum, spem misero-
rum, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, vltorem scele-
rum, metum malorum. Gloriam bonorum, irreprehensi-
blem, sobrium, pudicum, ornatum; & in mensa seu refectionis
tempore, semper hilarem & iucundum, modestum, non liti-
giosum, domui suae bene praepositum: qui tam in spiritualibus
quàm in temporalibus Episcopatum praeclare gubernauerit.

Electus ergo anno M. CCC. LXV. non diu sibi
cunctandum existimauit; sed statim Kalendis Octo-
bribus iter Auenionem versus ad Urbanum V. Pon-
tificè pro confirmatione & designationis suae appro-
batione iniit; & in festo S. Galli XVI. scilicet Octo-
bris, ad metam itineris peruenit; vbi superatis & per-
ruptis variis difficultatibus, tandem in festo S. Wunibaldi, hoc est, XVIII. die Decembris, voti compos-
effectus, mox Sacerdos & Episcopus cōsecratus est; &
XV. Kalend. Februarij Eichstadium redux, à Clero
& populo solenni applausu recipitur anno M. CCC.
LXVI. qui & æs alienum dissoluit, & multa Episco-
patui acquisiuit, & prius acquisita communiit & ex-
ornauit; tandemque nonagenario non minor hanc
vitam reliquit anno M. CCC. LXXXIII. XV. Ka-
lendas Nouembris, die D. Lucae, ante noctis medium, an-
no XVIII. euectionis suae ad cathedram Willibaldi-
nam; sepultus in choro S. Willibaldi ad latus duorum
Episcoporum Eystettensium, Hildebrandi de Meren,
& Reimbotonis de Meilenhart.

De eodem Pontifice idem M.S. Codex. *Monaste-
rium Ecclesiae cathedralis Eystettensis vetus & ruinosum in-
ter duos choros, videlicet inter chorum maiorem beate
Virginis & chorum S. Willibaldi demolitus est, & par-
tem ipsius mediam propriis impensis instaurauit, de-
signatis*

signatis certis redditibus, quorum subsidio pars altera perficeretur.

Sub hoc Episcopo certa Regula, nimirum S. Augustini adstrinxerunt se sanctimoniales, habitatrices Monasterij Bildenreuti, non procul Norimberga, in diocesi tamē Eystettensi; nam vt Bruschius ait in Catalogo Monasteriorum, anno Domini M. CCC. LXXVIII. *subdidere se concordibus animis Rabano Episcopo Eystettensi, petentes ab eo certum ordinem, qui misso ad eos Canonico quodā de S. Villibaldi choro, Domino Burckhardo de Pleynsfeld, consecrari ipsas, & sub obedientiam accipi, Canonissas q̄ S. Augustini Regulares designari fecit, & Præpositam constituit anno M. CCC. LXXIX. die S. Thomæ Apostoli.*

XLVII. Fridericus IV. hoc nomine.

Comes Oettingensis. Electus anno M. CCC. LXXIII. ætatis suæ XXIII. confirmatus ab Urbano VI. Pontifice, ad quem statim ab electione sua legatos, confirmationis impetranda gratia miserat: nec Pontifex difficilem se præbuit, postquam quibus dotibus Fridericus insignitus esset, intellexit: Fuit enim, vt ait M. S. Codex, *magna eloquentia & literaturæ; qui in Academia Paduana compluribus annis Canonico Iuri operam dedit strenuus, prudens & sagacissimus, in consilio maturus, in conuersatione liberalis, in omnibus prouidus & circumspectus.* Laudem, quam Berchtoldo Episcopo M. S. Codex tribuit, huic quoque Friderico transcribit: *fuisse videlicet in executione sui officij assiduum, in celebratione, inquam, Missarum, in clericorum ordinatione: in chrysmatis & aliorum Sacramentorum, Ecclesiarum q̄ & altarium consecratione.*

Rf Lauda-